

electi in patronos juxta conditiones præscriptas in sequenti decret. emanat. de ordine SS. Domini Nostri Urbani Papæ VIII, die 25 Martii 1630.

« Sacra Rituum congregatio, annuente S. S. D. N. in electione patronorum mandavit, infrascripta imposterum servari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla sit ipso jure.

« Primo, quod eligi possint in patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo sanctorum coluntur, non autem beatificatorum duntaxat.

« Secundo, quod de patrono civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia a populo, mediante consilio generali illius civitatis, vel loci, non autem ab officialibus solum, et quod accedere debeat consensus episcopi et cleri illius loci.

« Idemque servari debeat in patrono regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia populi singularum civitatum provinciarum.

« Et quod repræsentantibus regnum, civitatem, vel provinciam nulla competat facultas eligendi patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et ulterius interveniat consensus episcopi et cleri dictarum civitatum.

« Et tertio, quod causæ electionis novorum patronorum debeant in sacr. congregat. deduci, et ab ea examinari, ac demum, causa cognita, ab eadem congregat. approbari et confirmari.

« Et ne præmissorum ignorantia ullo unquam tempore possit allegari, eadem sacr. Rit. congregatio supradictum decretum imprimi et publicari mandavit.

(83. Approbatio S. patroni, seu protectoris principalis solet concedi pro unico solo cum hac clausula: « Dummodo alium principalem patronum, seu protectorem non habeant, ut in una Mazzarien. 30 Martii 1697, pro universitate Castri Veterani, et alia Lycien. 12 Julii 1699, pro universitate Terræ Monteroni. » Apud Monacell., tom. II, tit. 16, formul. 10, num. 11.

(86. Regulares exempti utentes Breviario Romano, quamvis ex dictis supra num. 83, non teneantur recitare officia de patronis minus principalibus, et de sanctis diocesium, seu solitis recitari in diocesis, in quibus existunt, posse tamen illa licite recitare, si velint, expresse tenent Henno tom. I Tract. in Decalog., disp. 1, art. 4, conclus. 3; La Croix, lib. IV, n. 1246; Sporer, tom. III Theolog. sacramental., part. I, cap. 2, num. 122, et alii; et favent rubricæ particulares nostri Breviarii Franciscani, num. 84, ibi: « Ad alia tandem specialia locorum officia nequiquam tenemur, nisi expressa adsit mentio de regularibus in concessionibus, et tunc, deficiente præcepto, adhuc recitanda erunt ad libitum, prout superius in rubr. num. 11, manet præscriptum; » et ratio conclusionis est, quia privilegium principis alicui provinciarum, aut civitati concessum, quando nemini nocet, est latis-

sime interpretandum, cum sic habeat rationem beneficii, cap. Olim 16, De verbor. significat., ibi: « Cum beneficia principum sint interpretanda largissime. » Temerarium enim est, et perabsurdum liberalitatem principis non ad augmentum privilegiorum, sed ad diminutionem convertere, seu interpretari velle, ut expresse dicitur in l. Hac saluberrima 2, codic. De præpositis agentium in rebus. Ergo privilegium Apostolicum concessum alicui diocesi, seu provinciarum, vel regno pro recitandis certis officiis particularibus potest ita late interpretari, ut etiam comprehendat regulares, ut eo uti possint, si velint, eo vel maxime, quod potissime in privilegiis concessis favore cultus divini sit late faciendâ interpretatio, ut notat Fagnan. in cit. cap. Olim 16, De privilegiis, num. 25, et Calderin., consil. 422, alias 6, De privilegiis, per clarum textum in capit., In his 30, De privilegiis, ibi: « In his quæ ad cultum divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna est potius interpretatio faciendâ. » Et concordat cap. Odiâ 15, De regul. juris, in 6, ibi: « Favores convenit ampliari; » tum quia hoc conducit ad servandam uniformitatem divini officii. Non est tamen excedendum a decreto sacr. congregat. Rit. 19 Julii 1687, disponente contrarium, ut apparet in rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani, n. 78, in fine, ubi sic expresse habetur: « Imo nec possumus octavas prædictas, et patronorum minus principalem ac Sanctorum diocesium festa cum officio celebrare vigore constitutionum a Sede Apostolica approbatarum, nisi de eisdem festis singularis ibi adsit mentio et particularis dispositio. » Ex decreto 18 Julii 1687. Vide ad id resolutiones sacrar. congreg. in fin. h. tom.

(87. Hinc, quando permittitur fieri officium aliquod per ditiones subjectas Cæsari, per has intelliguntur etiam urbes imperiales; in omnibus enim Cæsareis rescriptis, in quibus Cæsar de aliqua talium civitatum loquitur, semper dicit: « Nostra et sacri Romani imperii Urbs. » Item intelliguntur etiam omnes provinciarum, ditiones et loca, quæ de facto sunt proprie dicta feuda imperii, quia ejusmodi feuda sunt vere subjecta Cæsari, ut Cæsari, cum sit illorum dominus directus, ut liquet ex communi definitione feudi apud Schraderum, Tractat. feudal., part. II, cap. 2. Sic Gobat, tom. I, tract. 5, numer. 650, append. 5, litt. N; La Croix, lib. IV, num. 1247 et alii.

(88. Locorum ordinarii tam seculares, quam regulares nequeunt propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, seu rubricis Breviarii in altiore ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum. Sic expresse statuit sacra Rit. congregatio, approbante Urbano VIII qui insuper tale decretum cum aliis jussit apponi in novis breviariis, uti de facto in initio nostri Breviarii Franciscani reperitur, ut sequitur:

« Sacra Rit. cong. declaravit et decrevit, non potuisse post Bullam Pii V de Breviario Romano, neque posse locorum ordinarios, tam sæculares, quam regulares addere Calendariis etiam propriis, sanctorum officia, nisi ea duntaxat, quæ Breviarii Romani rubricis, vel sac. Rit. congreg. seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur; neque propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, seu rubricis Breviarii in altiore ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum.

« Item vetuit et prohibuit celebrari per totam civitatem, vel diocesim, etiam de cujuscunque ordinarii auctoritate, festum cum officio, eo quod in loco adsit ecclesia parochialis, vel regularis, vel abbatialis, aut aliqua reliquia; sed tantum in ipsius sancti ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus; aut insignis reliquia et non alibi.

« Insignes autem reliquias declaravit esse caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab ordinariis approbata.

« De sanctis episcopis locorum, martyribus, civibus et aliis festis, de quibus in Calendario Romano, seu rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate constituitur, sed omnino consulatur sacra Rit. congregatio.

« Decretum quoque nuper editum super electione sanctorum in patronos, et impressum omnino servetur. Et hæc omnia decrevit, statuit et mandavit, innovando pœnas constitutionis Pii V respective.

« Facta demum relatione horum decretorum SS. Urbano Papæ VIII ea laudavit et approbavit, ac in omnibus ubique sub prædictis pœnis servari præcepit, necnon in novis Breviariis de mandato Sanctitatis suæ imprimendis apponi jussit. »

Loco ✕ sigilli.

T. TEGRIMUS, episcopus Assisien., secretarius.

(89. Officium recitatur sub ritu duplici minori de illo sancto, cujus habetur reliquia insignis, scilicet caput, brachium, crus, aut ea pars corporis, in qua passus est martyr, dummodo sit integra, et non parva, legitime ab ordinariis approbata, cujus ratione recitandum est symbolum in missa. Sac. Rit. cong. 8 Aprilis 1628. (90. Qui recitant officium de sancto, de quo habent insignem reliquiam in propria ecclesia, si celebrent eo die in alia ecclesia, debent omittere Credo. S. congr. Rit. 2 Decembris 1684.

(91. De sancto, cujus habetur corpus, vel insignis reliquia, non potest fieri officium, nisi constet de identitate, et nisi reperiat in Martyrologio Romano; reliquiarum vero a locorum ordinariis approbatæ, possunt exponi ad fidelium venerationem. Sacra congr. Rit. 21 Aug. 1691, approbante S. S. die 19 Octobris ejusdem anni 1691; ut patet ex originali prout sequitur.

## DECRETUM GENERALE.

« Cum sacrar. Rituum congregationi innotuerit, quamplures abusus irrepsisse circa recitationem officii, sub prætextu decreti ab eadem congregatione evulgati de anno 1630 et in Breviario Romano impressi, in quo permittitur posse in ecclesia recitari officia et missas celebrari de illis sanctis, quorum corpora, aut reliquiarum insignes in ea asservantur; eminentissimi Patres eidem sacræ congregationi præpositi iisdem abusus evellendis præcipue intenti, inhærendo decretis alias in similibus editis, declarant, prædicta officia sanctorum ratione corporis, seu insignis reliquiarum recitanda, intelligi de sanctis duntaxat in Martyrologio Romano descriptis et dummodo constet de identitate corporis, seu reliquiarum insignis illiusmet sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus; De ceteris autem sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a S. Sede non fuerit specialiter concessum, officia recitari, et missas celebrari vetuerunt, non obstante, quod ipsorum corpora, vel insignes reliquiarum in Ecclesiis asservantur. Quibus tamen ab ordinariis locorum approbatis debitam fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque officio, et missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi officium, aliisque in constitutione B. Pii V contentis, die 11 Augusti 1691.

« Et facta de prædictis sanctissimo per me secretarium relatione, Sanctitas sua hujusmodi decretum approbavit, ac ut debite executioni demandetur, locorum ordinariis injungendum esse præcepit, die 29 Oct. ejusdem anni 1691. »

(92. Dedicacionis festum, et officium extra actum consecrationis non potest amplius mutari ab episcopo inconsulta Sede Apostolica. Sac. Rit. cong. 16 Octob. 1604.

(93. Si in locis diocesis nullus reperiat electus patronus, tenetur diocesis non solum ad festum de patrono civitatis, sed etiam ad octavam. Sac. Rit. cong. 29 Septemb. 1568. (94. In patronorum, sive protectorum præcedentia servandus est ordo hierarchiæ Ecclesiæ, et inter ordinem hierarchicum anterioritas in electione. Sac. Rit. cong. 11 Martii 1690.

(95. Canonici, sub onere, et obligatione restitutionis fructuum tenentur psallere, seu canere in choro cum aliis; et non satisfaciunt, si solum assistant, et intersint horis, et per capellanos et alios beneficiatos psallant, ipsi vero vel ibi, vel domi, privatim recitent horas, quia institutio canonicatum est, non ut adsint tantum in choro, sed ut canendo assistant, et ob id eis dantur distributiones; colligitur ex concilio Tridentino, sess. xxiv, cap. 12, De reform., ibi: « Omnes vero divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia... atque in choro ad psallendum instituto hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devotèque laudare. » Et sic censuit sacra Congr. Concilii; nam pro-

posito dubio: « An canonici et alii qui intersunt divinis officiis, satisfaciant eorum muneri exhibendo suam præsentiam in choro, etiam quod non cantent, neque psallant, maxime si allegarent se eo tempore meditari, vel submissa voce dicere, quæ ab aliis cantantur, vel alias preces tunc recitare; an vero teneantur præcisa, alta, et consona voce divina officia, et horas canonicas recitare, cantare, et psallere, et aliter non satisfaciant muneri, et obligationi? » Eadem sacr. cong. sub die 20 Aprilis 1602, censuit « teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » *Vide verb. Missa*, art. 3. n. 11, ubi ad id affertur novissima dispositio Benedicti XIV. (96. Canonici ex decencia debent alta voce cantare in choro, et episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere. *Sacra cong. Rit. in Egitanensi* 23 Nov. 1602.

## NOTA ROMANI THEOLOGI.

Quamvis concilium Tridentinum et concilia quam plurima provincialia a Sancta Sede approbata, quamvis Summus Pontifex Bened. XIV in sua constit. die 19 Augusti 1744, edita, præcipiant, ut Canonici omnes in choro cum aliis psallant, et canant, et Lucius noster asserat, quod ad id stricto jure tenentur; nihilo tamen minus ipse auctor, episcopum illos posse hortari, sed non cogere juxta sac. Rit. congreg. decretum. Verum auctor noster proprio se perimit gladio. Si canonici tenentur psallere, et canere, aliter non satisfaciunt suæ obligationi, episcopus itaque potest illos cogere ad psallendum, et canendum, si sola hortatio sufficiens non esset. Quod ut magis, magisque planum fiat, audiatur Benedict. XIV in suo brevi ad eminentissimum cardinalem Delphinum patriarcham Aquileiensem, dato die 10 Januarii 1748 in quo hæc habet verba: « Porro volumus inter tot tantaque privilegia eidem capitulo et canonicis concessa, numerandum esse illud, quod quemadmodum tibi, æque ac Nobis notum est, antiqua traditione contra sacrorum canonum sanctiones, ac nostram præsertim constitutionem, cujus initium est, *Cum super oblatas*, invecum ab ipsis canonicis, non modo contenditur, sed etiam servatur, interessendi duntaxat choro, et cum cæteris mansionariis, capellanis, acolythis et clericis canentibus, psallentibusve assistendi, nunquam vero cum iisdem canendi, psallendive; etsi nonnullos eorumdem esse accepimus, qui aliter sentientes a conscientia angoribus agitantur, ex eo quod ea propter se non fecisse fructus suos existiment. Itaque a te, dilecte fili noster, poscimus, et flagitamus, ut non solum hujusmodi **ABUSUM, ET CORRUPTELAM** ab ecclesiastica disciplina absonam, et canonicis ordinationibus, ac nostræ quoque constitutioni contrariam penitus evellere, et eradicare admitaris; verum etiam ipsos suaviter, fortiterque admoneas, et hortaris, ut in posterum ea, qua decet, ac tenentur reverentia,

choro, intersint, adsistantque, nec non pietate, attentione, ac vigilantia omnino canere, vel psallere cum cæteris studeant, et contendant. Deinde iisdem edicas, et notum facias, Nos, quemadmodum per hasce nostras in forma brevis litteras tibi declaramus, et injungimus, decernere, atque statuere, sicut in eadem constitutione nostra innuimus, ipsos, suosque successores canonicos, choro quidem interessentes, assistentesque, minime vero canentes, psallentesve, **NULLO PACTO** ex præbendis, et distributionibus facere fructus suos, atque adeo **RESTITUTIONI obnoxios esse, ac fore, etc.** » Ex Summi itaque Pontificis maximi verbis evincitur, ut episcopi omni nisu, omnique conatu curent, non hortatione tantum, sed etiam coactione, ut canonici in choro cum cæteris canant, psallantve, et sic abusum illum, ac corruptelam penitus evellant, et eradicent, quæ multis in locis invaluit contra ecclesiasticas ordinationes.

Quid vero dicendum de privilegio a Leone X fratribus Minoribus concessio, quod Lucius noster obtrudit? Illud nempe, aut omnino commentitium esse, aut si verum, omnino revocatum censi a Summis Pontificibus Gregorio XV et Urbano VIII qui illud et alia vivæ vocis oracula prædecessorum Pontificum revocarunt. Verum enim vero, quod authenticum documento hoc probatur privilegium? Forsan authenticis litteris cardinalis Laurentii? At ubi nam gentium sunt istiusmodi authentica litteræ? Ab auctoribus, qui privilegium hoc dividunt, non producantur. Porro privilegium hoc omni caret verisimilitudine. Primo, quia in cap. *Dolentes* præcipitur distincta, ac devota officii divini recitatio, quæ in Deum dirigat non solum propriam, sed etiam aliorum mentem; tum quia præceptum recitandi divinum officium, ecclesiasticum est quod secundum omnes theologos directe pertinet ad exteriorem recitationem, quæ spectat immediate ad forum Ecclesiæ. Quoniam pacto itaque poterat Pontifex Summus Leo X fratribus Minoribus concedere, ut totum divinum officium mente recitarent, etiam quando soli recitant, contra naturam, et institutionem ecclesiasticam ipsiusmet divini officii?

Quod si privilegium hoc vivæ vocis oraculo concessum velint, jam cum cæteris vivæ vocis oraculis revocatum censemus a Gregorio XV et Urbano VIII 20 Decembris 1631, qui « omnia, et singula privilegia, facultates, licentias, et gratias quascunque vivæ vocis oraculo a prædecessoribus suis concessas, » omnino revocat. Neque in mentem alicui veniat, privilegium recitandi mentaliter divinum officium esse declarationem juris communis, adeoque non revocatum a dictis Pontificibus; Nam jus commune ecclesiasticum conceptis verbis præcipit, ut divinum officium clara ac distincta voce persolvatur, ut omnes fatentur, non autem mente; unde tale privilegium non esset declaratorium juris communis, sed potius ipsi oppositum, uti est perspicuum.

## RESPONSIO AUCTORIS.

Asserit hic R. theologus, quod « Lucius noster dicendo, quod canonici omnes in choro cum aliis debent canere, et psallere, et postea subdendo, quod ad id episcopus potest illos hortari, sed non cogere, proprio se perimit gladio; » ast vero ego Lucius nec proprio, nec alieno me perimo gladio. Ibi enim sub n. 95 assero, teneri canonicos cum aliis in choro canere, et psallere, et non satisfacere suæ obligationi, si solum assistant, et intersint horis, et per capellanos et alios beneficiatos psallant, ipsi vero, vel *ibi*, vel domi privatim recitent horas, et ad id adduco decretum sacr. congreg. Concil. quæ sub die 20 Apr. 1602, censuit, « teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » Et postea sub n. 96 subjungo, quod canonici ex decencia debent alta voce canere in choro, et episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere; ex decreto sac. congreg. Rit. in *Egitanensi* 23 Novembris 1602, ubi, ut vides, nec duo hæc decreta pugnant inter se, nec, ipsa adducendo, ego meo me perimo gladio, ut argutatur theologus. In primo enim decreto sub die 30 Aprilis 1602, sac. congreg. Concil. inhærens ipsi concilio censuit, canonicos teneri omnino psallere. Et in secundo postea eodem anno 23 Novemb. S. R. Congreg. interrogata, « an canonici debeant alta voce cantare in choro, et alii debere cantare alta voce, et ad illud posse ab episcopo cogi, quod negat secundum decretum de canendo alta voce. Sufficit enim, ut canonici suæ satisfaciant obligationi, quod in choro cum aliis psallant, ut ex primo decreto, sed non tenentur omnes horas alta voce cantare, nec ad id possunt ab episcopo cogi, ut ex secundo decreto, et docet quotidiana praxis cathedralium et collegiatarum. *Vide ad id conc. Trident. sess. xxiv, cap. 12, et constitut. recol. memor. Bened. XIV, incip. Cum semper, § Huic demum* per extensum allat. a me sub verb. *Missa*, art. 4, n. 11. Et ecce duo gladii hic ad perimendam infirmam, et injustam theologum censuram, et ne unus quidem, qui possit perimere sanam, et justam meam assertionem.

(97. Extra chorum ipsi canonici et quicumque alii, quando soli recitant, non obligantur tam alte loqui et recitare ut circumstantes possint audire, quia id nulla lex præcipit, ut testibus Gobat, tom. I, tract. 6, n. 691; Sporer, *l. c.*, n. 110, docet Commun. doctorum. (98. Probabilius tamen privatim et soli recitantes debent ita alte proferre verba ut possint ipsimet ea audire, si non impediatur propria surditas vel tumultus et strepitus aliorum, quia divinum officium est injunctum per modum orationis vocalis. Sic cum multis docet Suarez et Sporer, *l. c.*, n. 110; Monacell., tom. II, tit. 16, form. 1, n. 9, et alii. (99. Sufficere autem ut quocunque minimo sono seu voce absque syllabarum confusione verba distincte pronuntient do-

cent Azorius, part. 1, lib. x, cap. 11, qu. 4; Tannerus, *De Horis canonicis*, qu. 1, n. 110; Layman, lib. iv, tract. 1, cap. 5, n. 6; Bussembaum, lib. iv, cap. 2, dub. 2, art. 4, n. 2, cum Bonacina, et aliis ibi citatis; item Carmuel, Bassæus, Baldellus apud Dian., p. x, tom. XI, resolut. 33, et alii, quia revera non potest exhiberi lex aliqua requirens clariorum pronuntiationem.

(100. Et hoc maxime pro regularibus ob privilegium a Leone X concessum fratribus Minoribus ut possint Horas canonicas mentaliter persolvere, ut patet ex infrascriptis verbis dictæ petitionis relatis a Rodriquez in *Bullario regularium inter vivæ vocis oracula Leonis X*, et a Sporer, *l. c.*, n. 111, ibi: « Placeat Sanctitati vestræ, ut ne fratres mutuo se impediatur in officio divino aut aliis sint fastidiosi, quod, quæ in ordinario jubentur dici secreto sub silentio tam in Horis canonicis quam etiam in missa non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter aut legendo intra se per librum quia aliqui devotius sic dicunt et absque impedimento et fastidio aliorum. Et eodem modo possit facere, quia dicit officium solus, cum prolatio verbalis sit præcipue ut, ab aliis intelligatur. » Cui postulationi cum aliis simul propositis annuit Leo Papa ut per suas litteras authenticas testatur eminentissimus Laurentius presbyter cardin. SS. Quatuor Coronatorum die 15 Aprilis anno 1516.

(101. An autem illa verba: « Et eodem modo possit facere qui dicit officium solus, » debeant referrî solum ad præcedentia, nimirum illa quæ in ordinario jubentur dici: « secreto sub silentio, » ut *Pater, Ave, Credo*, et alia quædam; an vero sint extendenda ad totum divinum officium, ita ut solus extra chorum possit totum divinum officium dicere mentaliter absque ulla pronuntiatione seu expressione vel formatione verborum? Gravis est inter doctores controversia. Quidam enim ut Navarrus, *De oratione*, cap. 17, n. 88; Rodriquez, *Quæst. regular.*, tom. I, q. 2, art. 4, Casarubios, Corduba, Miranda, eosque citans Bruno Cassaing, *De privilegiis regular.*, part. II, tract. 8, c. 4, proposit. 5; Joannes Crucius, Sactorius, Persicus, Tamburinus apud Dianam, part. x, tract. 11, resol. 1, et Sporer, *l. c.*, n. 111, tenent quod solus extra chorum possit totum divinum officium dicere mentaliter, quia id suadet ratio addita in petitione, « cum prolatio verbalis sit præcipue ut ab aliis intelligatur, » quæ ratio non tantum de illis paucis *Pater, Ave, Credo*, sed de toto officio a solo recitando militat; alii tamen ut post Garciam, et Pellizarium, Diana, part. x, tract. 20, resol. 2; Lugo, *Respons. moral.*, l. III, dub. 17; Henno, *loc. cit.*, art. 6, conclus. 4, et fere communiter de hoc scribentes tenent oppositum, teste Sporer, *loc. cit.*, conclus. 4, ubi dicit hoc privilegium utpote vivæ vocis oraculo concessum, fuisse ab Urbano VIII revocatum, sed de hoc infra sub verb. **ORACULA VIVÆ VOCIS.**